In dei nomine. Noverint universi. Quod nos Brengarius Juvany presbiter Capellanus ecclesie Monasterii sancti Danielis et Petrus Ricard mercator Gerunde manumissores et exequtores loco manumissorum nominatorum et electorum in ultimo testamento seu voluntate ultima
tate discreti Nicholai Dalmacii quondam presbiteri beneficiati in ecclesia sancti Felicis Gerunde loco etiam aliorum manumissorum ... requisitione testamenti ... surrogati atque surrogati. Necnon et rectores protectores et administratores hereditatis bonorum et jurium dicti Nicholai Dalmacii
positi et constituti per honorabilem et providum virum dominum Johannem de Palomar decretorum doctorem canonicum vicarium in spiritualibus et temporalibus generalem atque officialem Reverendi domini Episcopi Gerunden habentes ad infrascripta et alia facienda plenam et liberam potestatem prout de huiusmodi
surrogatione et potestate plene constat per quandam patentem papiri litteram prefati domini vicarii et officialis dicti officialatus sigillo a tergo littere ipsius ut primo videbatur aspectibus sigillatam tenoris sequentis. Johannes de Palomar decretorum doctor ... vicarius in spiritualibus et tempora-
libus generalis atque officialis Reverendi domini Episcopi Gerunden discreto ac nobis in Christo dilectis Brengario Juvany presbitero Capellano ecclesie Monasterii sancti Danielis et Petro Ricard mercatori Gerunde Salutem in domino. Cum Nicholaus Dalmacii quondam presbiter beneficiatus ... exequtores vos ...
Gerunde in suo ultimo testamento nobis exhibito et hostenso acto in posse discreti Michaelis Petri notarii Gerunde decima octava die mensis octobris anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo vicesimo posuerit et elegerit manumissores suos et dicti sui testamenti exequtores ... in ipso testamento ...
garium Juvany et Bnardum Ricardi capellerum civem Gerunde quibus et dicto Bnardo Ricardi in solidum dedit et contulit plenum posse omnia bona sua vendendi alienandi et distribuendi pro complendo suam ultimam voluntatem aliaque faciendi gerendi et exercendi ut in ipso testamento ...
continetur. Ceterum vero deffuncto dicto Bnardo Ricardi vobisque Brengario Juvany tunc nolente ... recusante ... manumissoria predicta cum nullus esset qui voluntatem ultimam dicti deffuncti valeret exequi et complere nos loco dicti Bnardi Ricardi et vestri dicti Brengarii Juvany
manumissorum testamentariorum manumissores et exequtores dicti testamenti posuerimus fecerimus et surrogaverimus discretos Guillermum Coll Petrum Banh... et Anthonium Michaelis presbiteros beneficiatos in dicta ecclesia sancti Felicis. Nunc autem hii manumissores surrogati ...
manumissoria illam exequi ... prossequendo quia vos dictus Brengarius Juvany ad preces quorundam amicorum dicti deffuncti pro utilitate manumissorie prefate ac hereditatis et bonorum dicti deffuncti non obstantibus supradictis una vobiscum dicto Petro Ricard concessistis et obtulistis ...
manumissoriam predictam ac regere gubernare et administrare bona et jura hereditatis et manumissorie dicti deffuncti si de nostris procederet licencia et consensu. Nos ex quibusdam justis et racionabilibus causis circa hec nostrum animum inducentibus pro utilitate et conservacione bonorum et jurium ... here-
ditatis et manumissorie predictarum deliberaverimus revocare et amovere prenominatis manumissoribus surrogatis citra tamen eorum infamiam vos dictos Brengarium Juvany et Petrum Ricart manumissores atque rectores protectores et administratores testamenti hereditatis et ma-
numissorie predictorum ac bonorum et jurium dicti deffuncti non obstantibus supradictis ponere constituere et surrogare ut inferius continetur. Idcirco nos vicarius et officialis predictus ex causis et utilitate premissis revocando primitus surrogacionem et potestatem per nos datas et factas
prenominatis manumissoribus surrogatis citra eorum infamiam vos dictos Brengarium Juvany et Petrum Ricard de quorum discrecione et fidelitate in domino confidimus manumissores et exequtores dicti testamenti seu ultime voluntatis ipsius deffuncti atque rectores protectores et admi-
nistratores hereditatis bonorum et jurium dicti deffuncti auctoritate et tenore presentis ... surrogamus ponimus facimus et constituimus. Dantes et concedentes vobis plenam et liberam potestatem petendi exigendi retinendi regendi gubernandi et administrandi dictum ... manumissoriam
deffuncti testamentum codicillos inventarium encantum et quecumque alia instrumenta processus litteras scripturas bona mobilia et immobilia peccunie quantitates census res et jura ubilibet et in quibuscumque rebus consistant ad dictum deffunctum atque eius hereditatem et manumissoriam
sive precia spectantia et spectantes quocumque modo ... omnia et singula prosequendo dicti testamenti et voluntatis ultime dicti deffuncti et aliis predictis fiendis et complendis distrahendi et alienandi cum subhastacione vel sine ac illis personis et pro illis preciis de quibus vobis videbitur expe-
dire ac precia inde habenda recipiendi faciendique et firmandi apocas de receptis et pacta de ulterius non petendo ac instrumenta debitoria quecumque cancellandi et annullandi seu cancellari et annullari faciendi emptoresque in possessionem rerum venditarum distractarum et alienatarum ponendi
et inducendi ac pro evictione et deffensione et alia omnia dictarum hereditatis et manumissorie obligandi quecumque instrumenta vendicionum distraccionum et alienacionum predictarum faciendi fieri et firmandi cum pactis condicionibus retencionibus renunciacionibus securitatibus firmi-
tatibus juramentis clausulis et cautelis de quibus vobis videbitur expedire quecumque in contractibus empcionis et vendicionis et aliis huiusmodi fieri requiruntur. Necnon de et super omnibus et singulis supradictis ac etiam ex eis emergentibus incidentibus dependentibus et connexis agendi
deffendendi in judicio et extra coram quibuscumque judicibus ecclesiasticis et secularibus procuratores et actores unum et plures ad lites causas et questiones constituendi et revocandi aliaque dictis modis prelibatas ultimam voluntatem et exequcionem omnimodam complendi et
deducendi debitum ad effectum. Mandantes per has universis et singulis personis dictum testamentum codicillos seu alia supradicta aut eorum aliquid habentibus seu tenentibus quecumque dicto deffuncto seu dictis hereditati et manumissorie in aliquo teneantur vel existant
quomodolibet obligate ut de ipsis vobis respondeant et satisfaciant integre prout ad eorum quemlibet pertinet seu spectet. Nos enim ... vendiciones et omnia alia inde seu super predictis ut premittitur facienda rata grata et firma pro-
mittimus habituros. Vos vero exequcione huiusmodi ... expensis gestis et administratis inde nobis teneamini reddere racionem. Retinemus tamen nobis specialiter et expresse legata pia incerta seu pro ... incertis relicta distribuere nulla-
tenus. Datum Gerunde decima octava die mensis Febroarii Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Vicesimo Sedo. Johannes de Palomar. Attendentes nomine predicto quod ex et pro eo quia dictus discretus Nicholaus Dalmacii dum in humanis agebat tenebatur
et erat obligatus pluribus et diversis creditoribus in magnis peccunie quantitatibus et creditores dictus honorabilis dominus officialis causa cognita et processu legittimo precedente sub ipsius domini officialis examine actitato dictos creditores recte et juridice juxta prioritatem temporis et
juris prioritatem allocavit gradatim et facta per prius discussione de bonis mobilibus hereditatis ipsius deffuncti quorum bonorum discussorum precia nullo modo suffecerunt ad satisfaciendum creditoribus antedictis expediebat necessario nos vendere et alienare de bonis sedentibus seu immobi-
libus hereditatis predicte obquod deliberavimus vendere hospicium infrascriptum quod ipsi hereditati est minus utile aliis proprietatibus seu bonis immobilibus hereditatis prefate. Et ... instantibus quibusdam ex creditoribus memoratis quibus nondum satisfieri potuit in creditis suis exposui-
mus venale hospicium subscriptum quod per Michaelem Jacobi curritorem publicum et juratum ipsius Civitatis Gerunde de nostri voluntate fuit subastatum publice per Civitatem Gerunde et loca solita Civitatis eiusdem nedum per triginta dies ut est moris immo etiam per Tres menses et ultra. Et quia curritor
ipse hospicium idem publice subastavit ut prefertur attamen nullus inventus fuit emptor qui magis neque tantum precium obtulit in sepedicto hospicio quantum discretus Petrus Capmany scriptor civis Gerunde qui velut procurator yconomus et actor vestri honorabilis et Religiose domine
Ermessendis dei gracia Abbatisse et venerabilium dominarum Conventus Monasterii sancti Danielis iuxta Gerundam datorum se obtulit precium infrascriptum. Idcirco Gratis et ex certa sciencia nominibus antedictis prosatisfaciendo creditoribus predictis quibus satisfieri restat ut superius de et cum auctoritate
et decreto dicti honorabilis domini Johannis de Palomar vicarii et officialis qui supra vendimus et titulo pure et perfecte vendicionis concedimus et tradimus seu quasi tradimus vobis dicte multum honorabili et religiose domine Ermessendi dei gracia abbatisse dicti Monasterii sancti
Danielis et venerabilibus dominabus Conventui eiusdem Monasterii licet absentibus et dicto Petro Capmany procuratori yconomo et actori eiusdem Conventus presenti et pro vobis acceptanti recipienti et stipulanti et ipsi Conventui proprio Totum illud hospicium quod dictus
Nicholaus Dalmacii dum in humanis agebat habebat et possidebat in burgo sancti Felicis Gerunde et situm prope ecclesiam sancti Felicis. Et affrontatur ipsum hospicium ab oriente in Carraria publica inde transeunte et partim in hospicio discreti Clangeri sancti Felicis ecclesie prelibate et
partim in platea vocata de Balaguer et partim in domo operis seu fabrice sepedicte sancti Felicis ecclesie. A meridie in hospicio quod fuit Bnardi Caragol quondam presbiteri. Ab occidente in carraria publica inde transeunte et partim in hospicio beneficii altaris sancti Jacobi eiusdem
ecclesie sancti Felicis et partim in hospiciis Bartholomei Deu pelliparii Gerunde que hospicia antiquitus fuerunt den Goneth et partim in hospicio Bartholomei Solerii blanquerii Gerunde. Et circa in carraria publica inde transeunte. Et est certum quod in predicto hospicio et in ac sub dictis
confrontacionibus includuntur et comprehenduntur ex una parte duo hospicia que dudum Bnardus de Ruppe quondam Canonicus et prepositus prepositure vocate de Mieris in sepedicta ecclesia sancti Felicis Gerunde dum in humanis agebat habebat et possidebat quorum alterum tenebatur
ad directum dominium pro prepositura mensis Junii in sepedicta ecclesia sancti Felicis. Nunc autem istud hospicium est in alodiatum et amortitzatum prout inferius mencio habetur. Reliquum autem hospicium tenebatur sicut nunc particula ipsius hospicii tenetur ad directum dominium pro
Reverendo domino Episcopo Gerunden et eius Episcopali dignitate. Predicta vero duo hospicia pertinebant et spectabant jamdicto Nicholao Dalmacii dum in humanis agebat ex empcionibus quas de eis propria peccunia inde fecit a predicto Bnardo de Ruppe dum vivebat prout
de ipsis empcionibus plene constat per duo publica instrumenta inde confecta Gerunde die Septima mensis Januarii Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo recepta et clausa per discretum Petrum de Ponte quondam notarium Gerunde. Item ex alia parte
includitur et comprehenditur in hospicio preconfrontato quedam particula que fuit de pertinenciis hospicii operis seu fabrice preambule sancti Felicis ecclesie que particula continet in se de ton de longitudine Quadraginta palmos
et de latitudine continet in se de ton Viginti unum palmos ad rectam cannam Gerunde qua canantur panni lane in ipsa Civitate mensurando. Et affrontatur eadem particula ab oriente partim in platea predicta de Balaguerio et partim in hospicio discreti Francisci Vitalis Clangeri
ecclesie prenarrate. A meridie in alia parte dicti hospicii predicti operis remanenti. Ab occidente et circa in residuo hospicii supradicti quod vobis vendimus. Hec itaque particula est alodialis et spectabat dicto Nicholao Dalmacii titulo sive jure empcionis quam pro libero et francho alodio
inde fecit a venerabilibus Bnardo Sunyer et Guillermo de sancta fide Canonicis dicte ecclesie sancti Felicis tanquam operariis operis seu fabrice ipsius ecclesie prout de huiusmodi empcione plene constat per instrumentum publicum inde confectum Undecima die mensis Madii Anno a nativitate domini Mille-
simo Quadringentesimo Undecimo receptumque et clausum per Michaelem Petri notarium publicum infrascriptum. Preterea est verum et certum quod pars seu particula dicti hospicii que teneri solebat ad directum dominium pro dicta preposita mensis Junii
in dicta ecclesia sancti Felicis. Que quidem particula solebat esse per se unum hospicium in et super quo hospicio ipsa preposita habebat et percipiebat annuatim de censu in festo sanctorum Petri et Felicis Sex solidos et octo denarios monete Barchinone de terno. Et affrontatur ipsa particula ab oriente in domibus
operis seu fabrice ipsius ecclesie sancti Felicis et partim in alia parte dicti hospicii quod vobis vendimus que pars est alodialis et fuit de pertinenciis prefati hospicii eiusdem operis seu fabrice. A meridie in hospicio quod fuit discreti Bnardi Caragolli quondam presbiteri beneficiati in ecclesia jamdicta.
Ab occidente partim in Carraria publica et partim in hospicio beneficii stabiliti in altari sancti Jacobi ecclesie memorate. Et circa in residuo hospicii supradicti quod vobis vendimus. Hec itaque particula que pro dicta preposita mensis Junii teneri consueverat fuit amor-
titzata et in alodiata dicto Nicholao Dalmacii dum vivebat et suis proprio per venerabilem Johannem de Bosch Canonicum et prepositum ipsius prepositure mensis Junii de et cum consensu et voluntate honorabilium dominorum Abbatis et Capituli eiusdem sancti Felicis
ecclesie sub et cum onere et prestacione Quatuor solidorum annualium annis singulis prestandorum ipsi preposite in festo Natalis domini ultra dictos Sex solidos et octo denarios Censuales prestari solitos supradictis. Sic quod ipsi preposite pro dicta particula hospicii in Censum prestari
assuetum et amortitzationem inde sequtam fiunt et prestantur annuatim decem solidi et octo denarii monete preambule scilicet dicti Sex solidi et octo denarii in dicto festo sanctorum Petri et Felicis et dicti Quatuor solidi in dicto festo Natalis domini prout de huiusmodi
amortitzacione et in alodiacione plene constat per instrumentum publicum inde confectum die Nona mensis Aprilis Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Undecimo receptumque et clausum per Michaelem Petri notarium publicum infrascriptum. Ulterius
est verum et certum quod particula ipsius hospicii que tenetur ad directum dominium pro dicto Reverendo domino Episcopo Gerunden et eius Episcopali dignitate quequidem particula est versus orientem et per se solebat esse unum hospicium. Affrontatur ab oriente in carraria publica ... cohoperta
ipsius hospicii et pars cellarii predicta parte orientis constructi protenduntur. In fundum autem pars pati dicti hospicii ubi est puteus protenditur. Affrontatur eidem particula ab oriente in predicta particula que fuit de pertinenciis jamdicti hospicii operis seu fabrice ecclesie jamdicte.
A meridie in predicta particula alodiali que teneri solebat pro dicta preposita mensis Junii ecclesie supradicte. Ab occidente in hospiciis contiguis que sunt Bartholomei Deu pelliparii jamdicti quequidem fuerunt den Goneth et partim in hospicio Bartholomei Solerii blanque-
rii et circa in Carraria publica inde transeunte. Sciendum est insuper quod in predicta particula hospicii que pro dicto Reverendo domino Episcopo et eius Episcopali dignitate ut prefertur directe tenetur hedifficatum est portale maius eiusdem hospicii sunt etiam in huiusmodi particula intrata
cohoperta et etiam pars maxima pati discohoperti in quo constructus et hedifficatus est puteus inclusus et comprehensus in hac particula. Et ipsa intrata continet in se de longitudine de ton Septem Cannas Quatuor
palmos et medium. Et de latitudine de ton Tres cannas et medium. Et pars cellarii dicti hospicii comprehensa in et sub particula predicta continet in se de longitudine de ton Tres cannas et medium. Et de latitudine de ton duas cannas et Tres
palmos. Sunt etiam in solo seu pati inferiori particule predicte constructe et hedifficate Tres domus in unum contigue una quarum que antiqua est parietibus extremis dicti hospicii versus orientem continet in se de longitudine de ton Tres cannas duos palmos et Tres quarts.
Et de latitudine duas cannas duos palmos et medium. Alia autem domus continet in se de longitudine duas cannas Quinque palmos et medium. Et de latitudine duas Cannas Tres palmos et medium. Tercia vero domus continet in se de longitudine duas Cannas
Tres palmos et unum quart. Et de latitudine Septem palmos et unum quart. Et in primo tecto dicti hospicii constructe sunt et hedifficate que sunt de pertinenciis dicte particule que pro dicto domino Episcopo ut predicitur tenetur domus et pacis que et prout inferius mensurantur
et designantur. Primo namque ex quadam Camera constructa supra dictum Cellarium in dicto primo tecto que Camera contiguitatem habet apud aulam ipsius hospicii includitur et comprehenditur sub predicta particula quedam pars et in hac parte Camere
versus orientem constructa est quedam fenestra cum rexiis ferreis. Et hec pars Camere continet in se de latitudine duas cannas Tres palmos et Tres quarts sequendo mensuram latitudinis consimilis cum est tota dicta Camera. De longitudine vero ipsa pars
Camere continet in se Novem palmos et medium. Aula quidem ipsius hospicii sub dicta particula comprehensa continet in se de longitudine Quinque Cannas et Quinque palmos et de latitudine duas Cannas et Quinque palmos. Item quedam Camera que dicte
Aule et etiam versus occidentem hospicio dicti Bartholomei Solerii contigua est continet in se de longitudine Tres cannas et Sex palmos. Et de latitudine duas Cannas Quatuor palmos. Item et quedam retrocamera prope dicte Camere
contigua continet in se de longitudine duas Cannas Sex palmos et medium. Et de latitudine duas Cannas Tres palmos et medium. Sunt etiam in particula prefata que pro dicto domino Episcopo ut prefertur tenetur et in contiguitate predicte
retrocamere constructe due parve domus et latrine hospicii supradicti. Preter hec sunt de pertinenciis dicte particule quedam domus et hedifficia que in secundo et superiori tecto hospicii supradicti constructa et hedifficata existunt ac includuntur et comprehenduntur in et
sub particula jamdicta que pro dicto domino Episcopo ut prefertur tenetur. Et primo etiam versus orientem constructa est quedam domus alta ad recondendum granum et ex hac domo certa pars in qua constructa est quedam fenestra includitur in et sub particula jamdicta.
Et huiusmodi domus pars continet in se de longitudine decem palmos. Et de latitudine totam ipsius domus latitudinem que est duarum cannarum Septem palmorum et unius quart. Supra jamdictas autem aulam Cameram retrocameram et parvulas domos predictas
superiori tecto constructe et hedifficate sunt diverse Camere graneria terraria et alia hedifficia que a parte orientis dicti hospicii usque ad occidentem protenduntur et se extendunt usque ad contiguitatem hospiciorum dictorum Bartholomei Deu et Bartholomei Solerii. Et
hec omnia includuntur sub particula predicta que ut sepedictum est tenetur pro domino Episcopo supradicto. Necnon et omnia ipsa hedifficia dicti hospicii in dicto superiori tecto constructa incipiendo a parte Circii usque ad partem meridiei protenduntur usque ad parietes
Coquine hospicii prelibati. Et includuntur in et sub particula prefata. Hanc itaque vendicionem de toto predicto hospicio prout supra confrontatur et terminatur vobis eidem domine Abbatisse dictoque Conventui proprio facimus quibus supra nominibus cum introitibus et exitibus
integritatibus proprietatibus et cum solo fundamentis parietibus portis portalibus bigiis tectis tegulis tegulatis fenestris luminaribus stillicidiis ac aliis pertinenciis suis universis et singulis ex abisso usque ad celum et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi
factis et decetero fiendis cumque omnibus juribus et accionibus que dicto Nicholao Dalmacii dum in humanis agebat pertinebant et pertinere poterant et debebant quoquomodo. Prout melius predicta ipsi deffuncto dum in humanis agebat pertinebant
et pertinere poterant et debebant ac sanius melius et utilius ad vestri dicte domine Abbatisse dictique Conventus bonum et sanum intellectum potest intelligi atque dici. Precio videlicet Quadraginta librarum et Quinque solidorum monete Barchinone de terno quod
precium per manus dicti Petri Capmany procuratoris vestri et dicti Conventus confitemur a nobis habuisse et recepisse numerando ipsumque precium solvere et distribuere ac tradere tenemur et promittimus Creditoribus dicti deffuncti prioribus tempore et jure potio-
ribus juxta dicti processus graduacionis seu collocacionis per dictum dominum officialem ut premittitur facte continenciam et tenorem. Renunciantes nominibus antedictis excepcioni peccunie non numerate et dicti precii non habiti et non recepti et doli et actioni
in factum legique deceptis ultra dimidiam justi precii subvenienti ac beneficio restitucionis in integrum omnique alii juri usui et consuetudini contra hec repugnantibus. Et si quid plus nunc valet hec vendicio valebitve decetero precio prelibato totum
illud plus quantumcumque sit vobis et dicto Conventui proprio damus et remittimus scienter ac irrevocabiliter inter vivos. Constituentes nos nominibus supradictis predicta que vobis et dicto Conventui proprio vendimus dicti Conventus nomine possidere
vel quasi donec inde corporalem seu quasi acceperitis possessionem. Quam liceat vobis et ipsi Conventui quandocumque volueritis vestra et ipsius Conventus propria auctoritate et absque fatica et requisicione nostri dictis nominibus ac alicuius alterius persone libere appre-
hendere adipisci et sic adeptam penes dictum Conventum et quos voluerit ad perpetuum habere retinere. Cedendo nichilominus et dando predictis nominibus vobis et dicto Conventui proprio in predictis omnia loca et jura omnesque voces vices rationes et actiones
reales et personales mixtas utiles et directas ordinarias et extraordinarias ac rei persequtorias et alias quascumque que dicto Nicholao Dalmacii dum in humanis agebat pertinebant et pertinere poterant et debebant quomodocumque. Quibus locis juribus
vocibus vicibus racionibus et accionibus predictis possitis vos et dictus Conventus proprio uti agere et experiri in judicio et extra agendo scilicet deffendendo ac aliis omnibus modis contra quascumque personas quemadmodum dictus deffunctus dum vivebat facere poterat
et nos dictis nominibus facere poteramus ante huiusmodi instrumenti confeccionem et jurium cessionem et possemus nunc vel etiam postea quoquomodo. Nos enim quibus supra nominibus extrahimus predicta que vobis et ipsi Conventui vendimus de jure dominio proprie-
tate et posse nostri eisdem nominibus et hereditatis dicti deffuncti. Eademque in vestri et dicti Conventus dominium proprietatem et posse mittimus et transferimus irrevocabiliter pleno jure facimusque et constituimus vos et ipsum Conventum proprio in predictis veros
dominos et procuratores in rem propriam dicti conventus ad vendendum agendum et experiendum habendum tenendum et possidendum ac libere proprio faciendum inde ipsius Conventus nomine omnimodas voluntates. Salvo tamen jure et directo dominio Reverendi in Christo patris et
domini domini Episcopi Gerunden et eius dignitatis Episcopalis quo ad predictam particulam dicti hospicii superius confrontatam mensuratam et designatam que particula pro eodem domino Episcopo ut dictum est directe tenetur in omnibus videlicet intratis laudimiis et foriscapiis fatiga juribus emparandi
et retinendi ac aliis omnibus et singulis ad directum dominium pertinentibus. Cuiquidem domino Episcopo et successoribus suis in eius dignitate Episcopali vos et dictus Conventus faciatis et prestetis et facere et prestare teneamini anno quolibet proprio de censu in festo natalis domini Tres solidos
monete Barchinone de terno. Salvo etiam quod pro dicta alia particula predicti hospicii que pro dicta preposita mensis Junii in dicta sancti Felicis ecclesia teneri solebat nunc autem ut premissum est amortitzata est et in alodiata faciatis et prestetis et facere et prestare teneamini vos
et dictus Conventus annuatim proprio de censu ipsi preposite et eius venerabili preposito decem solidos et Octo denarios prefate monete scilicet Sex solidos et Octo denarios in dicto festo sanctorum Petri et Felicis. Et residuos Quatuor solidos in festo predicto natalis domini. Et salvo insuper quod operi seu
fabrice sepedicte ecclesie sancti Felicis faciatis et prestetis et facere et prestare teneamini pro dicta dicti hospicii particula superius confrontata anno quolibet proprio de censu in dicto festo sanctorum Petri et Felicis Tres solidos et Sex denarios jamdicte monete Barchinone de terno. Insuper absque aliquo
alio retentu quem in predictis non facimus seu retinemus quibus supra nominibus nisi ut pretangitur ullo modo. Promittimus eisdem nominibus vobis dicte domine Abbatisse et dicto Conventui predicta que vobis et eidem Conventui vendimus vos et ipsum Conventum facere habere tenere
et possidere in sana pace et secure proprio contra cunctas personas. Et inde vobis et ipsi Conventui firmiter teneri promittimus nominibus jamdictis de evictione omnique dampno sumptibus et interesse litis et extra. Si questio aliqua peticio vel demanda vobis aut ipsi Conventui
facta vel mota fuerit in predictis seu eorum racione in judicio vel extra judicium quoquomodo. Et pro predictis omnibus et singulis attendendis firmiter et complendis pro firmaque et legali evictione et interesse eorumdem obligamus nominibus prefatis vobis et dicto Con-
ventui in manu et posse notarii infrascripti tanquam publice persone nomine vestri et ipsius Conventus et aliorum omnium quorum interest et intererit instrumentum legittime stipulantis et recipientis omnia et singula alia bona dicte manumissorie ac hereditatis deffuncti predicti ubique habita
et habenda. Ad hec ego dictus Michael Jacobi preco et curritor publicus et juratus dicte Civitatis Gerunde. Confiteor et refero me de mandato dictorum manumissorum et exequtorum dictis nominibus hospicium supradictum per dictam Civitatem Gerunde et loca solita
ipsius nedum per triginta dies ut est moris sed etiam per Tres menses et ultra palam et publice subastasse et nullum invenisse emptorem qui magis vel tantum precium obtulerit se daturum in predicto hospicio quantum dictus discretus Petrus Capmany velut procu-
rator et procuratorio nomine dicte honorabilis domine Abbatisse et dicti Conventus obtulit qui nomine procuratorio quo supra se daturum obtulit precium antedictum. Obquod de dictorum manumissorum et exequtorum dictis nominibus voluntate et mandato dicto Petro Capmany
nomine quo supra tradidi baculum seu astam sivehalem insigni perfecte vendicionis vobis ut plus offerenti inde facte precio prelibato. Nos autem Conventus dicti Monasterii sancti Danielis ad sonum seu tactum Cimboli ut est moris de mandato vestri dicte Ermessen-
dis dei gracia Abbatisse ipsius Monasterii infrascripte convocatus et congregatus in Claustro eiusdem Monasterii ubi convenimus et presentes sumus nos dicta Abbatissa et nos Marguesia de Montepalacio priorissa. Beatrix de Caramanno. Alamanda de ...
mason. Caterina de Vernio. Madalena de Burre pitanciaria. Francisca de Palacio infirmaria. Caterina de Labiano Sacristana. Beatrix de Pavo et Francisca de Fuxano omnes Monales Conventus predicti. Et ipsum Conventum facientes et celebrantes. Confi-
tentes quod dictus Petrus Capmany tanquam procurator yconomus et actor nostri Conventus predicti pro utilitate dicti nostri Monasterii et Conventus de mandato voluntate atque comissione nostra sibi factis empcionem fecit de predicto hospicio precio prefato empcioni eidem
expresse consentimus ipsamque ratam habentes laudamus hec concedimus et firmamus. Nos itaque Johannes de Palomar vicarius et officialis qui supra quia dicta vendicio ex causa necessaria superius expressata facta extitit recte juridice ac legittime prout decet eidem vendicioni ac aliis
omnibus et singulis supradictis consentimus auctoritatemque nostram interponimus et decretum. Que omnia et singula supradicta fuerunt acta et a dictis discreto Brengario Juvany et Petro Ricardi nominibus preambulis firmata et laudata Gerunde Vicesima
Octava die mensis Septembris Anno a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Vicesimo Sedo. Presentibus et ad hec vocatis me Michaele Petri notario publico infrascripto et testibus scilicet discretis Francisco Vitalis Clangerio Petro Anleda et Ludovico
Palancha beneficiatis in ecclesia sancti Felicis Gerunde ac Bartholomeo Burguesii Johannis beneficiato in Sede Gerunde presbiteris. Et a dictis honorabili domina Abbatissa et venerabilibus dominabus Conventu predicti Monasterii fuerunt predicta consensa laudata
data et firmata in dicto claustro ipsius Monasterii sancti Danielis Nona die mensis Octobris Anno predicto presentibus et ad hec vocatis Anthonio Ribou scriptore substituto in notaria Gerunde vice et nomine mei dicti et infrascripti
notarii et testibus scilicet discreto Jacobo Pasqualis presbitero beneficiato in Sede et Francisco Torini clerico commorante Gerunde. Et a dicto Michaele Jacobi curritore predicta confessa relata et firmata fuere Gerunde Quartadecima die mensis Novembris
anno jamdicto presentibus et ad hec vocatis me dicto Michaele Petri notario et testibus scilicet discreto Guillermo de Colle presbitero beneficiato in ecclesia sancti Felicis et Petro Jacobi Bosch apothecario cive Gerunde. Et a dicto honorabili Johanne de Palomar
vicario et officiali consensa auctoritzata et decreta in palacio Episcopali Gerunden Prima die mensis Decembris anno prefato presentibus testibus discretis Bnardo Joheri beneficiato in Sede Gerunde et Narcisso Coll Sacrista ecclesie de Spondiliano presbiteris.

Johannes de Palomar decretorum doctor canonicus ecclesie procurator Reverendi in Christo patris et domini domini Episcopi Gerunden suprascriptam vendicionem firmo ... salvo jure dicti domini Episcopi et eius Episcopalis dignitatis in dicta parte salvo manu propria hic subscribens.

Signum Michaelis Petri notarius publicus substitutus auctoritate Regia a Jacobo de Campolongo presbitero Civitatis bajulie et vicarie Gerunde suarumque pertinenciarum notario hec scribi feci et clausi. Cum suprapositis in lineis ... et ... xxix. Jacobi. Et lxiij ferreis. Et cum raso et correcto in ... linea notans.

1422 IX 07

Girona 1099

Girona.

Nº [illegible] del Pilar [illegible] de Jerona.

Venda [illegible] Sr. Bibe

[illegible] Sant de Sta Pelaia, firmada

per los Jurmussers de Nicolau Dalmau. 1428

Nº 8142.

Nº 10 del plec de Girona. 20 y 21

1167